



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De informatione patientiæ & luctamine aduersus concupiscentias. XII

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

*De informatione patientia, & luctamine aduersus  
concupiscentias.*

1. **D**omine Deus, vt video, patientia est mihi valde necessaria, multa enim in hac vita accidunt contraria. Nam qualitercumque ordinauero de pace mea, non potest esse sine bello & dolore vita mea. Ita est fili. Sed volo te non talem querere pacem, qua tentationibus careat, aut contraria non sentiat; sed tunc etiam aestima te pacem inuenisse, cum fueris variis tribulationibus exercitatus, & in multis contrarietatibus probatus.

2. Si dixeris te non posse multa pati, quomodo tunc sustinebis ignem purgatorij? De duobus malis, minus est semper eligendum. Vt ergo aeterna futura supplicia possis euadere, mala praesentia studeas pro Deo aequanimiter tolerare. An putas, quod homines seculi huius, nihil vel parum patientur? Nec hoc inuenies, etiam si delicatissimos quaesieris. Sed habent (inquis) multas delectationes, & proprias sequuntur voluntates, ideoque parum ponderant suas tribulationes. Esto, ita fit, vt habeant quicquid voluerint; sed quamdiu, (putas) durabit?

3. Ecce, quemadmodum fumus deficient abundantes in seculo, & nulla erit recordatio praeteritorum gaudiorum. Sed & cum adhuc viuunt, non sine amaritudine, & taedio, ac timore, in eis quiescunt. Ex eadem namque re, vnde sibi delectationem concipiunt, inde doloris poenam frequenter recipiunt. Iuste illis fit, vt quia inordinatè delectationes quaerunt & sequuntur, non sine confusione & amaritudine eas expleant.

4. O quam breues, quam falsa, quam inordinata & terpes omnes sunt? Veruntamen praebrietate & caecitate non intelligunt, sed velut muta animalia, propter modicum corruptibilis vitae delectamentum, mortem animae incurrunt. Tu ergo fili, post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua auertere. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

5. Etenim si veraciter vis delectari, & abundantius à me consolari, ecce in contemptu omnium mundanorum, & in abscissione omnium infirmarum delectationum, erit benedictio tua, & copiosa tibi reddetur consolatio. Et quanto te plus ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tanto in me suauiores & potentiores consolationes inuenies. Sed primò, non sine quadam tristitia & labore certaminis ad has pertinges. Obster inolita consuetudo, sed meliori consuetudine deuincetur. Remurmurabit caro, sed feruore spiritus frenabitur. Instigabit & exacerbabit serpens antiquus; sed oratione fugabitur; insuper & labore vtili, aditus ei magnus obstruetur.

CAPVT

Heb. 10.  
Job 7.

Jacob. 1.

Psal. 67.

Ecclesi. 3.  
Psal. 36.